

ret vero propter illa, alias aliud, atque illud:<sup>17</sup> ingredientia et exeuntia semper. Nonne haec et determinate et etiam clare scripsit?

Et quod etiam (ab elementis sit separata) quando (ingredientia et exeuntia) nominat, quando (alias aliam videri) scribit?

5 Quando in quo ingenerata singula ipsorum apparet? Et rursus (inde pereunt) et haec contraria esse quoque docet:<sup>18</sup> Quaecumque aliquod calidum aut album aut etiam quodcumque contrariorum. Nonne eam non solum ab elementis separatam clare dicit? Sed ab omnibus etiam rerum formis, quando omnes et ineuntes et  
10 exeuntes recipit et amittit?

Sed et hoc et clare et determinate:<sup>19</sup> Ignem quidem ubique eius ignita pars videtur, humefacta vero aqua: terram vero et aerem, in quantum imagines horum receperit.

Neque vera est illa obiectio: Οὐδὲ χρῆται οὐδενί neque utitur  
15 ullo. Utitur enim omnibus et elementis, [340] ut modo visum est, et compositis etiam, ut toto Timaei progressu patet. Utitur etiam alterius in alterum transitu:<sup>20</sup> Circulum in hunc modum tradentia in se invicem, ut videtur, generationem.

Neque etiam illud verum est, quod ait:<sup>21</sup> Dicens esse subiectum  
20 vocatis elementis prius, veluti aurum operibus aureis. Non enim auri exemplum adduxit Plato, ut ostenderet materiam, ita subici elementis, uti aurum aureis operibus, sed ut ostenderet materiam, etiamsi diversis subiiciatur formis, eandem esse materiam, sicuti aurum semper aurum est, etiamsi figuras in diversas transfigu-

<sup>17</sup> τὰ δ' εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα {τῶν ὄντων} ἀεὶ {μιμήματα}. [PLATO, Ti. 50.c.4 – 5]

<sup>18</sup> τὸ δ' ὁποιοῦν τι, θερμὸν ἢ λευκὸν ἢ καὶ ὀτιοῦν τῶν ἐναντίων. [PLATO, Ti. 50.a.2 – 3]

<sup>19</sup> πῦρ μὲν ἐκάστοτε αὐτοῦ τὸ πεπυρωμένον μέρος φαίνεσθαι. τὸ δὲ ὑγρανθὲν [corr. ex ὑγραντέν] ὕδωρ, γῆν δὲ καὶ ἀέρα καθ' ὅσον [καθόσον] ἂν μιμήματα τούτων δέχηται. [PLATO, Ti. 51.b.4 – 6]

<sup>20</sup> κύκλον τε [δ'] οὕτω διαδιδόντα εἰς ἄλληλα, ὡς φαίνεται, τὴν γένεσιν. [PLATO, Ti. 49.c.6 – 7]

<sup>21</sup> φήσας εἶναι ὑποκείμενον {τι} τοῖς καλουμένοις στοιχείοις πρότερον, οἷον χρυσοῦν τοῖς ἔργοις τοῖς χρυσοῖς. [ARIST. GC 329a.15 – 17]